



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 5. De Sacra Communione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

Epist. 7.
ad Deme-
triad.

nitentiam, concludo & moneo cum D. Hieronymo
ne facile peccemus, in gravioribus scilicet : nam venia-
lia non necessaria, sed libera Confessionis sacramenta-
lis materia sunt, quæ quamquam rectè & utiliter,,
citraque omnem præsumptionem in Confessione,,
dicantur, taceri tamen citra culpam multisque aliis,,

Sess. 14.
c. 5.

Serm. 41.
de Sanct.
& alibi.

Hieron.
supra.

remediis expiari posse, docet Tridentinum : qualia
ex calculo S. Augustini sunt opera misericordiæ &
charitatis, jejunia, preces, venia delicti inimico con-
cessa, &c. *Illa*, scil. *Pœnitentia, quasi secunda post*
nafragium miseris tabula sit, in Virgine integra servat
tur navis : aliud est quærere quod perdidideris, aliud pos
sidere quod nunquam amiseris.

S. V.

De Sacra Communione.

Gen. 24.
53.

Rebecæ Isaaco in Sponsam delectæ per Abrahæ
Servum varia collata munera referunt sacra Pa-
ginæ : *is prolati vasis argenteis & aureis ac vestibus,*
dedit ea Rebecæ pro munere, habet facer Textus. Vir-
gini à se in Sponsam suam assumptæ Christus Domi-
nus Sponsus liberalior, præter Xenia alia, seipsum in
sacra Eucharistia Sacerdotum manibus donat, do-
num revera omnium, sive quæ in cælo sunt, sive
quæ in terra, maximum. Nolo hîc audias incredu-
los Capharnaitas modernorum Novatorum protopa-
rentes, neque attendas ad eorum blasphemias, cum
eodem titulo ac jure rejicere liceat Christum crucifi-
xum, quem prædicatum (licet is sit Dei virtus Dei-
que sapientia) Judæis tamen scandalum, Gentibus
autem

autem stultitiam attestatur Apostolus: Sed, cui pa- 1 Cor. 1:
 naceum suum Deum jam olim exprobravit Aver- 23. & 24
 roës Philosophus Gentilis, cum totâ orthodoxâ Ec- in 12. Me-
 clesiâ captivato in obsequium fidei intellectu ac de taphys.
 pollicitationibus ejus & datis minimè dubia sub spe-
 ciebus eucharisticis Sponsi tui præsentiam agnosce,
 idèd venientis ad te.

Tum, ut tibi salutari mutatione te convertat in se,
 id est, tuum amorem, tuum affectum, tua deside-
 ria, tuas intentiones inflectat & traducat ad se: ejus
 namque vox est: *Sicut misit me vivens Pater, & ego* Joan. 6:
vivo propter Patrem, & qui manducat me & ipse vi- 58.
vet propter me. Felices sanè, quæ hunc fructum ex
 ejus adventu decerpunt! quarum corda & affectus
 amicissimâ violentiâ sibi diripit pius Jesus! invitat
 te, ut venias ad se: *Venite ad me omnes, qui laboratis*
& onerati estis, & ego reficiam vos: sed quia tergi-
 versaris, ipse moræ impatiens venit ad te, ut confor-
 tet & sanet te, ut ignem divini sui amoris accendat in
 te: *Ignis à facie ejus exarsit,* inquit Psalter, *carbones* Psal. 17:9
succensi sunt ab eo. Hæc adventus ejus emolumenta
 sunt, dummodò tibi is gratus sit atque acceptus:
 ideòque (quæ eum complexu suo continet) Eucha-
 ristix sumptio *Communio* nuncupatur, quod in ea il-
 lam fumenti suas virtutes liberali beneficiâ com-
 municet. Verbo, venit ad te, ut ferat suppetias,
 quod per Apostolum suum exigit à te quò sis sancta
 corpore & spiritu, & ut suam tibi imaginem imprima-
 t: *Ditissima illa natura* (ait S. August.) *summa* Tract. 26
nobis largita est munera, Sacramentum videlicet amo- in Joan-
ris, pacis, charitatis, ac divina nobiscum unionis. nem. Eia
 vel nunc tandem desiderium profectus & perfectio-
 nis

nist tuæ, quod habet tui amantissimus Jesus, intelligi
& cum eodem concipe, non sit toties frustraneus ejus
ad te adventus neque recedat amplius re infectâ, non
ejus sed tuum est damnum. Probro caret nec vno
vertitur in seculo, licet differantur procorum vota,
hæc ludibria amoris incitamenta & incrementa sunt:
at amantissimi Jesu desideria nequaquam tardanda,
nunquam negligenda vel rejicienda ejus postulata
hæc moræ charitatis venena sunt. Dum itaque venit

Gen. 2: 7. ad te, & spiraculum vitæ suæ, ut olim Deus in homi-
nem è limo terræ formatum, inspirat in te, seu po-

Joan. 14.
v. 6. tius se, qui ipsa *Vita* est, tibi copulat ac unit, ne sis
lâ terræ glebâ insensibilior, at fias in animam vive-

Psal. 118:
175. *Vivet anima mea & laudabit te, & judicia tua ad-
vabunt me. Et ipse vivet propter me:* Vitâ sanè in-
gnus est, quisquis à Jesu & Jesu ipso, corporis scilicet
ejus eduliis & sanguinis ambrosiâ, enutritus & susten-
tatus non vixerit suo Nutricio ejusque solius mini-
sterio. *Et ipse vivet propter me:* hæc intentio, hæc
est ejus absoluta voluntas. At progrediamur & ag-
nosce ejusdem in Eucharistia præsentiam venientis
ad te.

Tum, quod in hunc locum reservavimus, ut & ipse
præsens, quam integram in te & illibatam unice de-
siderat, in propugnanda servandâque Virginitate
auxiliarem tibi manum præbeat, pravæ cogitatio-
nes peccati illices, si irruant, expellendo, vel exclu-
dendo ne incidant: Jupiter, quem D. Cyprianus
non cœlestis Regni sed vitiorum Principem inscribit,
aurei imbris fertur suscepisse formam, ut intra Virgi-
nis Danaës cubiculum admissus illi pudicitiam eripe-
ret:

ret: Castissimus autem Jesus panis speciem sumit, ut intra pectus tuum exceptus te puritatis ac sanctitatis suae participem efficiat. Quae de causa summum continentiae praesidium in S. Communione eamque contra impudicitiae venena praesentissimum alexipharmacum statuunt Ascetices Magistri ex Zachariae va- c. 9. v. 17.
 tinio qui divinissimum hoc Sacramentum *Frumen-*
tum Electorum, & *Vinum*, non in quo ex Apo- L. 1. de
 stolo est luxuria, sed *germinans Virgines* intitulat, Cain c. 5.
quae ebrietas (ex D. Ambrosio) *pueritiae custos est*. Ex Sess. 25. de
 quo capite statuit Tridentinum: „Attendant dili- Regul. &
 „genter Episcopi & caeteri Superiores Monasterio- Monial.
 „rum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus ea- c. 10.
 „rum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel
 „singulis mensibus confessionem peccatorum faciant
 „& sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se
 „salutari praesidio muniant ad omnes oppugnatio-
 „nes daemones fortiter superandas. Quod, licet Mo-
 „nialibus praescriptum quibuscum nihil nobis nego-
 „tii, prodit tamen, quo aequae indigent Virgines no-
 „strae, de Eucharistiae praesidio ad continentiae tuta-
 „men universae Ecclesiae sensum: ad cuius frequentio-
 „rem usum Sanctos Patres idcirco Virgines non ex-
 „hortatos suspicor (altum enim de eo apud illos silen-
 „tium) quod ex consuetudine Ecclesiae suo adhuc tem-
 „pore Fidelibus omnibus esset quotidianus, adeoque
 „actum agerent. Contemplare hic sollicitam Dilecti
 „tui curam flagrantissimae charitatis argumentum:
 „viscera dilectionis & misericordiae plenissima: quod
 „te sibi integram reservet, carnis suspiria & desideria
 „retundat, libidinis ardorem extenuet, virginitatis
 „ac puritatis amorem ingeneret & foveat, ecce virgi-
 „neam

- neam suam carnem de virgine conceptam, de virgine natam, & à virgine lacte virgineo enutritam tu in nutrimentum concedit, ejusque qualitates, ut corpus corpori, in te transfundere connititur, etenim
- 1 Cor. 6: secundum Apostolum *unus* cum eo *spiritus est*
17. *qui Domino adheret*: Ante Arcam Domini corru
1 Reg. 5:3 Dagon & sistitur exsiccaturque Jordanis. Magda
Josue 3: lena nota in civitate peccatrix ubi familiaritatem
16. *isse cum Virgineo Jesu, & hic apud eum frequenter*
diverteret & illa eum in domum suam exciperet,
ipsa hospita ille conviva, non tantum charitatis ser-
vorem, sed & extincto diabolico incendio (qua phisica
libidinem honorat D. Chrysoft.) continentiae nitore
Hom. 62. *assumpsit, neque enim ante immaculati Agni prefe-*
in Gen. *tiam immundus fornicationis spiritus stare potuit*
- Luc. 15: Filius adolescentior prolapsus est totus etiam usque
13. *ad amplexus meretriceos, cum non jam amplius per*
terno pane reficeretur: eo pane sustentetur, in
praesidio muniatur oportet, quæ ad carnem defici-
re non vult: casti amoris brachiis in hoc puritate
fonte Puritatem ipsam amplectetur, mutua sit unio
Ad divortium sollicitaris? eadem, quæ ex Ambro-
Serm. 90. *sio D. Agnetis, sit & tua responsio: discede à me*
fomes peccati . . . discede à me, quia jam ab alio
amatore prævenga sum, qui longè te nobilior &
genere & dignitate: non ergo potero ad con-
tumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, &
illum derelinquere cum quo sum charitate
devincta: quem cum amavero casta sum, cum te
tigero munda sum, cum accepero Virgo sum. Non
Serm. de te decipiant promissa vel inescant munera,
S. Agnetis. *quia Christi amor, ex D. Maximo, pecuniarum non*
habet

habet pretium: Ideoque ea licet careant blanditiis, tibi semper suspecta sint, ,, oblata sub specie pietatis ,, virorum munuscula, (instat præcitus Taurinensis ,, Antistes) totâ intentione respuite, & quasi rabidi *supra* ,, canis morsus omni cum gaudio recusate: à quo ,, non receperis quò timeas Deum, non accipias quò ,, diligas mundum. Accipe Virgo sed quod amori ,, æterno proficiat: quotiescunque ab homine con- ,, secuta fueris censum, accipe ut te Christi cognoscas Sponsam, ei devincta es nec jam ultra aliis vendibilis aut venalis: quo intuitu donaria omnia, litterulas blandas & nugas alias expertissimus simul ac sanctissimus Virginum Moderator Hieronymus à sancto Amore proscribit: qui tibi munificus, is verè maleficus est aut esse vult: sufficiat tibi cum Anna Tobix conjugæ paupertas tua, si, ut illi *Tob. 5:25* filio suo, tibi liceat frui suavissimo dulcissimi Jesu commercio eumque solum divitias tuas computa, *nihil tibi opus est*, Uxori suæ præscribit Tertullianus, *L. 1.* *si Domino, appareas, imò omnia habes si habeas Dominum, cujus omnia cœlestia recogita & terrena despicias.* Nihil sufficiet, cui is non sufficit. Neque ad aliorum fallaces lenocinationes, sed ad hujus solummodo castissimos affatus ac salutaria consilia attendas, frustra cœteroquin suscipis pudicitix præsidem ac præconem, si aliunde intromittas & patiaris impudicas suggestiones.

P A R S I.

De Necessaria prævia dispositione ad sacram Communionem.

CUm apud Sunamitidem frequenter divertetur
 ejusque panes reficeretur propheta Elisæus, dicit
 4 Reg. 4: ea ad Virum suum: Animadverto, quod vir Dei san-
 9, & 10. ctus est iste, qui transit per nos frequenter: faciamus
 ergo ei coenaculum parvum, & ponamus ei in
 eo lectulum & mensam & sellam & candelabrum,
 ut, cum venerit ad nos, maneat ibi: Vilis quidem &
 exiguus apparatus, attamen huic Prophetæ gratissimus:
 quo &, si in hospitio cordis tui ei simile præparaveris,
 Christus Jesus non advena apud te, ut ipse apud
 illam, sed Dominus benignissimus & Spiritus tuus præ-
 dilectus, per sacram Communionem frequentissimè apud
 te divertens non ut reficiatur te, sed sine tuis impensis
 & onere atque sua carne suoque sanguine reficiat te,
 contentissimus erit. Dum autem dico, eum per sacram
 Communionem divertere apud te suppono evidentè, non
 te per peccatum incurrisse ejus offensam aut ex ejusdem gratia
 excidisse: tales namque is, qui prohibuit Sanctum dari
 canibus aut margaritas mitti ante porcos, designatur:
 cum Magdalena eæ non ad osculum profiliant (osculum
 cæteroquin non amicitiae sed Judææ) at poenitentiae
 lachrymis offusæ pedibus ejus obvolvuntur: cum
 Publicano indignas se arbitrentur quæ vel oculos in
 cælum levare audeant, nedum cælorum Regem hospitio
 excipere: pectus assiduò percutiant non idoneum
 existiment, ut sedem Christo præbeat denique

denique satis superque habeant si Deum exorare liceat, ut eis propitius sit, non tantum sibi arrogent, ut ad maxima illius beneficia confestim aspirent, à quibus proinde corpori Christi & sanguini vim inferri & juxta præmonitionem Apostoli properatæ Communionis venena sumi ad D. Cyprianum scribit Clerus *Epist. 30.* Romanus. Vivant vitâ charitatis, quæ (ideo sic dictum) *vitæ panem* accipient: careat pectus illud criminum sordibus quod pretiosissimi corporis & sanguinis Christi erit gazophylacium. At frustra hîc sim fusior cùm non ad Adulteras, ut spero, sed Christi Sponsas nobis sit sermo.

Tu itaque, quæ una ex eis es, quas præsentia suæ majestate honorat & visitat amabilis Jesus, Sunamitidem æmulare & primo quidem Cœnaculum para, ubi suâ is gaudeat libertate, Cœnaculum scil. cordis tui, ab immodica & noxia sollicitudine illud evacuando omnemque curarum & cogitationum secularium strepitum excludendo: exulent & cessent illæ pro hoc tempore, sit ibidem spiritualis solitudo. Querit tale & amat, quid namq; causæ fuit quòd in primo suo in mundum ingressu ei apud Bethleemitas in diversorio locus non esset? *Non erat ei locus in diversorio*, habet Evangelium. Cur exinanitus Rex *Luc. 2: 7.* gloriæ pro palatio suo vile tugurium elegit? sanè non secessit in ruinofum illud mapale, quòd hospitium aliud obtinere non posset, in cujus ditione omnia posita erant, quemque *universorum hæredem*, ut Apostolus loquitur, jam Pater constituerat: sed ut, si eum hospitem tuum velis, quasi in prototypo te instrueret non debere cor tuum esse veluti hospitium publicum omnibus patulum, ubi nullum silentium, nullaque

T

laque

Joan. 6:
& alibi.

laque quies ob cogitationum & phantasmatum frequentiam, sed veluti locum solitarium & compressi mentis evagatione ab omni tumultu sejunctum: ideo namque, Eucharistiæ typum, paucis panibus multorum millium pastum in desertis præmisit, & in Cœnaculo selecto, ubi nulli nisi Communicari aderant, divinissimum illud Sacramentum instituit: hæc imagines sunt, in quibus videas, quid tui usus à te requirat. Pateat itaque totum curatum, & ei, qui à te ex toto corde diligere desiderat, soli pateat dum in Amoris Sacramento ad te intrabit: *Ego Dilecto meo*, quæ erat Sponsæ, eadem & vox tua, & *ad me conversio ejus*, cum eadem dormire poteris.

Cant. 7: 10

SECUNDO, eo intuitu quò apud te morem in cordis tui Cœnaculo ei, Sunamitidem æmulam thalamum adorna, non ex sola Castitate, qualem designat Ambrosius, sed ex virtutibus reliquis, quæ in Canticis Sponsa *floridum* intitulat, *Lectulus* *floridus*: quod non ex solis Continentiæ Liliis, sed ex omnium virtutum floribus conficiatur, in quo solo quies illi grata & possibilis: ea namque de causa non in solius Virginis utero (quem Psalter *Familia Spiritus Sancti Organum*, ut eum vocat D. Bernardus *Thalamum* inscripsit) sed & Virginis gratiâ plenum mortale suum corpus ex ea assumptum deposuit, ut ad cautelam, idem illud jam passionis expertum immortale ac gloriosum si in sinu cordis tui velis deponere, ut ei simile reclinatorium procures: non est quod contra excipias, dignus est etenim. Condoles in caula Bethleëmica in stramine fœnoque reposito: condoles sine dubio durissimo Crucis lectulo incumbenti:

L. 1. de
Virgin.
c. 1. v. 15.

Pf. 18: 6.
Serm. 3 de
Vig. Nati-
viti.

ti: verum tu ei in cordis tui penetralibus meliorem thalamum adorna: cave proinde ne & in te hæc ejus querela locum habeat: *Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8: 20.

TERTIÒ mensam ibidem colloca, in qua is, quibus ad te onustus appropinquat, gratiarum suarum farcinas deponat: non enim vacuis, ut ajunt, manibus venit aut indigus tui, sed ut thesauris suis (in quibus ex Psalmo *abyssi*) ditet te: si Obededon eam exceperit, hujus Arcæ benedictio non deerit: qui seipsum tibi donat sua non denegabit. Deinde ut ex eadem reficiat te: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, inquit, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum:* ideò divinissimum hoc Sacramentum *panem, panem vivum, panem vitæ, cibum* denique & *potum* intitulat: hæc illa mensa quam parat in conspectu tuo adversus eos qui tribulant animam tuam: hæc illa Esca, quam concedit timentibus se quaque esurientes bonis omnibus replet & satingat. Illustrissimus *Sasboldus* Proto-Vicarius noster magnificè proculdubiò adhuc puer hîc fuerat exceptus & summâ spiritus dulcedine oblectatus, ut tum aliàs sæpè, tum brevi ante mortem vehementer optaret: „ Utinam semel mihi adhuc ille suavitatis sensus obveniat, quo me in prima Communione puerum divina Benignitas perfudit! Quæ autem hæc mensa, quam hisce thesauris hisce epulis subternas, nisi inflammata desideria quibus Eucharistiam excipias? hæc in cordis tui Tabernaculo aurea illa Mensa sunt, in quibus divinus ille propositionis panis deponendus. Trinitius in Orat. funebri pag. 1. Exod. 25.

QUARTO Sellam in eodem procura, non aliam
 quàm voluntatem tuam: non in ea resideat Amor
 6. 18. 7. 30 proprius, à voluntate tua avertere suggerit Ecclesia-
 sticus: at eam offer, eam illi subjice, qui suâ te præ-
 sentiâ dignatur: damnanda sanè illa inhumanitas,
 quæ hoc eum officio non humillimè ac promptissi-
 mè honorat, qui proinde non vult quemquam ce-
 lesti hoc pane vesci nisi eam antecesserit, quo sentit
 in Oratione, quam docuit, petitioni Panis, quem
 Hom. 42. eucharisticum Augustinus & alii PP. interpretantur,
 præmitti voluit plenariam voluntatis resignationem
Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Illi que-
 dam vice non malevolâ, sed humili inobedientia Pe-
 6. 5. 8. trus obluçtabatur, ei dicens: *Domine tu mihi lavas*
 Serm. 2. *pedes?* Juxta Melliflui Scriptoris Paraphrasin:
 de Cæna Creator Creaturæ & Deus homini? Dominus
 Domini. servo, Magister Discipulo? imò ei qui factus est ex
 limo, ille qui fecit omnia ex nihilo? Surge Domi-
 ne, surge Deus meus, quid vis facere? non pos-
 sum sustinere, non possum ferre. Oculi mei te vi-
 dere refugiunt sic proclivum, sic prostratum ante
 pedes meos. Surge Creator, surge Deus meus. Sur-
 ge lux mundi, vita mea, gloria mea: noli facere
 quod te video facere velle. *Non lavabis mihi pedes in*
æternum. Quid hîc Jesus? *Si non laverò te, non la-
 bebis partem mecum.* Tantus hîc rigor obtinet.

QUINTO denique adsit Candelabrum, sive, ut
 Luc. 12: alibi præscribitur, *Lucernæ ardentes in manibus ve-*
 35. *stris.* Non enim nisi cum ardentibus lampadibus Vir-
 Matt. 25: gines intrant cum Sponso, quas conficit ardentissima
 10. Charitas: si namque *Lucerna Impiorum peccatum,*
 Proverb. certè flagrantia Charitatis erit lampas Justorum: Ca-
 21: 4. *stita*

stitas sine charitate, scribit Mellifluus Burgundio, *Epist. 42.*
lampas est sine oleo; subtrahere oleum lampas non lucet,
tolle charitatem castitas non placet: absque ea obscu-
rum est horridumque Cordis tui Cœnaculum: non
est sine Lucernis Arca in Tabernaculo, nec in Eccle-
siis Eucharistia sine lumine, neque sit illa sine fla-
grantissimæ Charitatis face in pectoris tui san-
ctuario.

Eâ in anima necessarius est omnis hic apparatus,
quam suâ præsentia suoque contubernio pius JESUS
honorabit: Paulus ab ipso hîc edoctus sollicitè idcir- *1 Co. 11*
cò monet: *Probet seipsum homo, &*, ne quid horum *23.*
desit, sollicitè attendat: non venit, seu potiùs venire *vers. 28.*
non vult nisi expectatus, & omnibus in ejus adven-
tum jam ante præparatis: *Quæ paratæ erant intrave-* *Matt. 25:*
runt cum Sponso ad nuptias, imparatis autem occlu- *10.*
sa est janua. Tu itaque Virgo ad eum excipiendum
te præpara dum ille ad adventum paratus est, & apud
te præparata jam omnia ardentissimum præsentia
ejusdem desiderium significet, ex Psalmo: *Paratum* *56: 8.*
cor meum Deus, paratum cor meum. Tuus ei in oc-
cursum prodeat affectus, illum humanissimè invi-
tans: *Veni Domine Jesu,* & cum summa animi humi- *Apoc. 22:*
litate ac gaudio in cordis tui conclave introducens. *20.*
In Bethania in Castello Marthæ & Magdalenæ is erat *Luc. 10:*
apparatus, & eum excipientium affectus, ideòque *Joan. 12.*
frequentius illas invisebat ibique hærebat diutius. *12.*
Amas verè Jesum? eum pectoris tui hospitem desi-
deras? cave ne eum malè habeas, non deerit, utpo-
te tuæ indigentia conscientius, in prærogandis suppetiis
& sumptibus, quibus dignè eum excipias, qui non
nisi dignè vult excipi. „ Scito tamen (calamo Kem- *4. Imit.*
12. n. 2.

pæi is loquitur) te non posse satisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiam si per integrum annum te præparares & nihil aliud in mente haberes: sed ex sola pietate & gratia mea permitteris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium vocaretur divitis, & ille nihil aliud habeat, ad retribuendum beneficiis ejus nisi se humiliando & ei regratiando. Fac quod in te est, & diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore & reverentia & affectu accipe corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire. Ego sum qui vocavi, ego jussi fieri, ego supplebo quod tibi deest: veni & suscipe me.

P A R S II.

De Agendis post Sacram Communionem.

INter alia, quæ Judæis vitio data, recenset Evangelista Joannes, quòd Christum Dominum ad se sive in propria venientem non receperint, *in propria venit, & sui eum non receperunt*, eum, quem cum tanta impatientia fuerant præstolati, quem tot vocibus excoelo extorserant: infanda inhumanitas! eadem tamen excusanda, quòd è malè intellectis Vaticanis non humilem at seculi pompâ superbum præstolarentur. Quæ Jesu magis propria, quæ magis se quam Virgo? utpote quæ & Ancillam & Sponsam ejus se jactat: huic is, licèt sub vilibus eucharisticis speciebus, non incognitus: ne ergo, Judæis similis inhumana noteris, quòd in sacra Synaxi ad te & in propria sua venientem, non inexpectatò at desideratum

Joan. I:
II.

ratum invitatumque, debito honore non exceperis, ad cautelam hæc tibi documenta serviant.

PRIMUM: ei, intra te collecta, te comitem ac sociam præbeas: qui gratissimum hospitem omni quidē benevolentia excipit, at eo solitario relicto mox ad occupationes suas regreditur, peccat is in leges urbanitatis ac comitatis: ratio exigit ut ejus lateri adhærescat, ejus ministerio se devoveat ac vacet, quem magnis dilectionis affectibus in suum domicilium adduxit: ideoq; Virgines illæ non modò exhibant obviam Sponso, sed & intrabant cum eo: & quæ occurrerant, lateri ejus in domo adhærent Maria & Martha; nec eum solùm Cleophas & socius in diversorium Emaunticum impellunt, sed & ei indivulsò adhærescunt: non eum gravat sed delectat hæc societas, ambit illam & requirit; quod ut scires, rarissimè solus egit in terris, vix natus mediâ adhuc nocte per Angelos Pastores advocat: recole vitam ejus, & rarò sine comitibus Jesum inveneris, nullibi ferè solitarius est: in præsepio inter Mariam & Joseph: in Templo mediis inter Doctores: apud Sichar cum Samaritana: in Thabor inter Eliam & Moysen: in Cœnaculo, in orto Gethsemani cum Apostolis: imò & in Golgotha, cum alii abessent vel starent à longè, ne solus deprehenderetur, familiaritatem iniit cum altero supplicii sui socio, eumque in Amicorum suorum album inscripsit. Nec sufficebat ei in domo Simonis convivantium societas, ideò Magdalenam advocat, quæ eâ gratiâ indignam se reputans ad pedes ejus pervolvatur: „Lachrymis quidem antiquam flagrantis „concupiscentiæ voluptatem in se prudenter exstinguens & consenescere faciens, affectuque egregio

Luc. 7. 38

*L. de vera
Virgin.*

in Dominum & sanctis osculis spiritum animæ vehementer accendens, interprete D. Basilio. Vere Domine Jesu deliciae tuæ esse cum filiis hominum, utinam & nostræ esse tecum! tuæ saltem sint o Virgo, &, ne justas querelas parturiat tua inhumanitas, modis omnibus allabora.

SECUNDUM: humillimis gratitudinis affectibus gratiam, quâ is te beat, agnoscas & venereris. Joannes Be-

*Luc. 1:41
ibid. v. 43*

ptista, cùm tantùm appropinquaret Jesus, *exultavit infans in utero matris suæ: & illa: Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* & ipse jam adultus

*Matth. 3:
14.*

& tu venis ad me? eadem & amplior tibi gratia prærogatur, sit & eadem imò amplior gratitudinis significatio quâ illi respondeas: quàm eum malè habebat

*Luc. 17:
17. & 18.*

cùm è decem, quos à lepra mundaverat, ad gratiarum actiones non nisi unicus reverteretur: hoc beneficium inter & illud, quo te ditat, nulla proportio est: fuerat usus in illos tantùm potentiæ suæ auctoritate, tibi autem charitatis suæ plenitudinem affundit, imò & præ amoris exuberantia se & omnia

*S. ff. 13.
c. 2.*

sua in potestate tua consignat, idcirco Tridentinis Patribus dictus *divitias divini sui erga homines amoris velut effudisse.* Beneficium præstat & ad gratitudinem eum obligat, quisquis alterum invitaverit amicè, exceperit benevolè & habuerit commodè: at hoc contrarium obtinet, te sibi devincit piissimus Jesus, quòd te suâ præsentia dignetur: non illi à te, sed tibi ab eo gratia indulgetur, tantùm ne eam dissimulaveris, animum induas gratitudinis plenum: *Quis*

Psal. 8:5.

est homo, ante hanc indulgentiam admirabundo ore quidam exclamabat, quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? tibi affluit uberior admiratio-

rationis vena, gratitudinis scaturigo fecundior, ideoque, quantâ potes, reverentiâ & religione eum adora, venerare, exosculari, immensamque illius bonitatem recole, qui te Majestatis suæ præsentia honorare, visitare, illuminare, & sanctificare dignatur: profundissimæ humilitatis & humillimæ gratitudinis fomentum sit hæc consideratio.

TERTIUM: veniam petas, quòd ad eum excipiendum non te majori diligentia præparaveris: magna hîc industria necessaria, in typo id te edocet fabrica Tabernaculi & Templi: *Domum tuam*, dicebat Psalter, *deceat sanctitudo Domine in longitudinem Ps. 92: 5. dierum*, & ejus in te notabilis etiamnum defectus ac magna penuria; plurium impurarum affectionum vitiorumque sordes adhucdum hærent in cordis tui Cœnaculo, exiguus est & modicus virtutum apparatus qui tuæ mentis conclave exornat: verum non hîc necessariæ multæ excusationes, eos non curat: novit is multa dissimulare, dummodo viderit sincerum & minimè fucatum cordis affectum quod est radix & vinculum omnis amicitia, etenim inter bonos est benè agier. Verum, quæ defunt, in eorum supplementa incumbere: vires omnes, membra ac talenta tua in ejus obsequium offer: quomodo *Martha*, cum eum in domum suam excepisset, *satagebat circa frequens ministerium!* Tres Angeli ad ejus instantiam apud Abrahamum diverterant, & tota familia ac quicquid erat in ea in eorum ministerio subdabat: ferveat in te idem studium, quæ non Angelos, sed Angelorum Dominum imò & dilectissimum Sponsum tuum hospitaris: *Si ergo magnum honorem conjugibus deberetis*, argumentatur S. Bernardus, *De Pass. Domini c. 31.*

T 5

cus,

us, quantum amare debetis eum propter quem cogites habere noluisse? cui gratissimum, si summam animi contentione te ejus ministerio impendas, à quo omnis sacrae Communionis fructus dependet ac dimanat.

QUARTUM: Spirituales tuas necessitates ei proponas, auxilium & subsidium ab eo deposcas: ne recunderis neque verearis notam impudentiae: oportuna hic omnis importunitas, non culpabilis in laudabilis omnis cupiditas, quae quò major eò melior, cum is nullibi liberalior sit quam in sacra synagoga, ideòque ad te veniat, ut tibi se beneficum exhibeat & in te divitiarum suarum thesauros largissimam dispenset. Hospitæ suæ (de qua in superiori §.) dicet

4 Reg. 4: 13. Elisæus: *Ecce sedulè in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi?* idem & tibi ab animæ tuæ Hospitæ offerri existima, inauditum enim est alicubi fuisse

Jesum & non fuisse beneficum, etiam inter hostes gladios & vincula sanat vulneratum Malchum: nisi à beneficia nolentibus benefactrices ejus manum ligantur. Dum itaque ait: *Quid vis ut faciam tibi?* humili confidentiâ ei tuas expone necessitates illas nemo te meliùs novit, quas te edocet quotidiana tua meditatio & conscientiae Scrutinium vespertinum. Deest tibi aliqua virtus? roga eum, ut divinæ suæ gratiæ opibus cumulet, quò eam ab

Proverb. 10: 22. piscaris: *Benedictio Domini divites facit, nec sociatur eis afflictio.* Expugnando alicui vitio incumbit

2 Esdra 8: 10. suppetias & victoriam efflagita, *gaudium etenim Domini est fortitudo nostra:* commeatum tuum tibi sup-

in Ps. 143 peditet sacra Communio, hæc est enim, juxta D. Augustinum, *Annona præliantium de horreis in vestra*

dominicis. Adhuc infirmaris sæpiùs? medicam manum implora ex Psalmo: *Dic animæ meæ, salus tuæ ego sum.* Deficis subinde? emendicare ut supersubstantialis ille panis cor tuum confirmet. Verbo, quocunque & in quocunque indigueris piissimi Jesus auxilio, liberè effare: qui se tibi donat, non negabit quod ad profectum & salutem tibi utile quam vult sanctam corpore & spiritu.

Tu itaque Virgo quæ non ex arida consuetudine at devotione fervidâ ad sacram Synaxin traheris, quoties huc properas, in quo Superioris tui consilium sequeris: etenim solos Sacerdotes ut suos *Ministros*, ita & *Mysteriorum Dei Dispensatores*, sive, ^{1 Cor. 4:1.} ut ait S. Cyprianus, *Sacramentorum Vicarios* Christi instituit: quoties inquam huc properas, si eam ^{Tract. de Passione Christi.} tibi fructuosam velis, præscripta Documenta te dirigant: cùm solitario relicto Jesu licet bono opere occupata, huc & illuc discurreret, quantâ acrimoniâ *Martha* reprehendebatur! quomodò verò probat quibusque laudibus exornat *Mariam*, quòd pedibus ejus & lateri adhærescat! *Martha* non quidem malam at partem optimam elegerat sibi *Maria*, hanc non illam æmulare, cognoscis hinc sensum Domini Jesu, quem sequaris: quem & alibi prodidit dum à convivis suis exigit, ut is in eo maneat, in quo ipse sit mansurus: *In me manet & ego in eo.* Agnosce ^{Joan. 6:} gratiam quâ is te beat, vult enim eam à te in pretio ^{57.} haberi: eadem quæ Thomæ sit & vox tua, qui dixit ^{Joan. 20:} *ei: Dominus meus & Deus meus!* quem dum Deum ^{28.} tuum cogitas, erubescere defectus quos is in cordis tui cœnaculo deprehenderit: dum autem eum Dominum tuum agnoscis, omnia tua serviant illi: eum
nam,

Heb. 1: 2. namque constitutum scribit Apostolus *Herodem universorum*, ideòque nil ei in te subtrahas, nil deneges. Prodas denique ei necessitates tuas, flagites pietatem, ad hoc vix ulla commodior occasio: at eam te, non hoc solùm die verùm & omnibus vitæ tuæ, exhibeto, ut elucescat quòd non in vacuum gratiam Dei recipias: tene eum apud te nec dimittas à te: „ Oportet enim (instruit ille *4. Imit. 12* per Kempæum) ut non solùm te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem, nec minor custodia post exigitur, quàm devota præparatio priùs: nam bona postmodum custodia optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Cave à multiloquio, mane in secreto & fruire Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum cui te totum dare debes, ita ut jam ultra non in te sed in me absque omni solitudine vivas.

§. VI.

De Audienda Concione.

c. 2. v. 14. **E**A Amantium indoles, ut non modò mutuam præsentiam ac confabulationes suspiret: *Ostendit mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vos enim tua dulcis & facies tua decora*, in Canticis aliqua dicebat: sed & interim, dum hæ negantur, ad de se mutuo relationes audiendas anhelet, quæ æquè ac